

ricus assidua vastatione depraedans, tandem ob morbi dolorem eis pacem dedit: quo morbo diutissimè per annos septem oppressus interiit. Post quem Riccila filius ejus successit et regnavit annis octo. Hic jubente patre ab eo missus, Undebotum romanae militiae ducem cum suis omnibus copiis ad Singillum Baeticae fluvium inito bello prostravit, magnis ejus auri argentique copiis occupatis. Post obitum autem patris suscepto regno, Hispania ab eo obtenta cum Baetica, Carthaginenses provincias in suam redegit potestatem. Quo defuncto Rectarius succedit in regnum annis novem. Hic accepta in conjugio Theodoridi regis Gothorum filia in initio regni sui depraedatur. Mox ad Theodoridum socerum suum profectus Cesaraugustanam regionem cum auxilio Gothorum rediens depraedatur, irrupitque per dolum Herdendi urbe, egit ibi magnam captivitatem. Ad ultimum dum Theodoridus rex Hispaniam ingrederetur, inito praelio adversus eum, primò fugatus, deindè captus occiditur. Occiso Rectario Suevi bifariè divisi, pars Fratan, pars Masdras sibi regem constituunt. Masdras autem cum manu Suevorum statim Lusitaniam depraedatur, acta illuc Romanorum caede praedisque contractis. Civitas etiam Olisepona sub specie pacis intratur. Nec mora, Fratan mortuo, Suevi, qui cum eo fuerant, ad Masdras revertuntur: regionem Galliciae adhaerentem flumini Durio depraedantur. Masdras autem peracto tertio anno regni sui jugulatur. Quo extincto inter Frumarium et Remismundum Masdrae filium oritur de regni potestate dissensio. Sed Frumarius, cum manu quam habebat Haviensem civitatem grandi evertit excidio. Remismundus autem vicina sibi pariter Agrigentium loca et Lucensis conventus maritima populatur. Frumario autem mortuo, Remismundus omnes Suevos in suam ditionem revocat, pacem cum Gallicis reformat, legatos foederis mittit ad Theoderidum regem Gothorum: à quo etiam per legatos et arma et conjugem quam haberet, accepit. Tertio regni anno ad Lusitaniam transit. Cimbricam pace deceptam diripit. Olisepona quoque ab eo occupatur: cives verò qui illic praeerant, custodiendos tradidit Lucidio. Hujus tempore Alax, natione Galata, effectus apostata et arianus, inter Suevos regis sui auxilio fidei catholicae hostis emerit, cujus seductione Suevi à fide catholica recedentes, in arianum dogma declinant. Post multos deindè reges regnum Suevorum suscepit Theudemirus qui fidem catholicam adeptus, arianae impie-

tatis errore destructo Suevos unitati fidei reddidit. Hujus temporibus Martinus monasterii Dumiensis Episcopus fide et scientia claruit. Cujus studio et pax Ecclesiae reddita est, et multa monasteria condita. Post Theudemirum, Miro Suevorum princeps efficitur, et regnavit annis tredecim. Hic bellum secundo regni sui anno contra Roccones intulit: deindè in auxilium Liuvigildi Gothorum regis adversus rebeldem filium ad expugnandam Hispalim pergit, ibique vitae terminum clausit. Cui Eburicus filius in regnum succedit: quem adolescentem Audicas assumpta tyrannide regno privat, et monachum factum in monasterio damnat, pro quo non dilata est sententia, mox enim Liuvigildus Gothorum rex Suevis bellum inferens, obtento eodem regno Audicam dejecit, atque detonso eo, post regni honorem, presbyteri officio consecravit. Sic enim oportuit, ut quod regi suo fecerat, rursus idem ab alio congrua meriti vicissitudine pateretur. Regnum autem Suevorum deletum in Gothos transfertur, quod mansit annis centum viginti sex.

APÉNDICE NÚM. 11.

*Concilio I de Braga.*

Los Padres del concilio de Braga dijeron, que las cartas se habian dirigido, *per Turibium notarium sedis suae ad Synodum Galliciae*. El P. Villanúño, que no pierde ocasion de morder á Florez, en despiqué de las invectivas de este contra el cardenal Aguirre, se empeña en sostener (tom. I, pág. 84, nota) la opinion de que el notario Toribio era uno que vino de Roma. Pero Idacio dice expresamente que la carta de san Leon la trajo el diácono Pervinco; y en efecto habiendo llevado este la carta de santo Toribio al Papa, era natural que trajera la respuesta del Papa á santo Toribio, mas bien que no enviar san Leon un diácono notario, que casualmente se habia de llamar tambien Toribio, mientras que el diácono Pervinco venia de vacio. Idacio dice expresamente: *Romanae Ecclesiae XLIII praesidet Episcopus Leo. Hujus scripta* (los de san Leon) *per Episcopi Turibii Diaconum Pervincum contra Priscillianistas ad Hispanienses Episcopos deferuntur. Inter quae ad Episcopum Turibium de observatione Catho-*



*licae fidei, et de haeresum blasphemis disputatio plena dirigitur, quae ab aliquibus Gallaecis sub dolo probatur arbitrio.* Por estas palabras últimas se ve que la carta de san Leon fue recibida maliciosamente de algunos gallegos: Florez (tomo XV, cap. VIII, § 20) supone gratuitamente que Balconio celebraría Concilio como mandaba el Papa. Pero ni el Papa lo encargaba á Balconio, á quien ni siquiera nombra, ni los Padres del concilio de Braga hacen alusion á semejante Concilio, como era natural se hiciese hablando del que celebraron las otras cuatro provincias eclesiásticas, y de la fórmula, que estos enviaron á Balconio.

Sobre esta fórmula ocurre nueva dificultad. Florez asegura (Ibid., § 17), que los Obispos de las otras cuatro provincias, reunidos en Concilio, procurando la union total en el dogma católico *remitieron la regla de fe establecida contra aquellos errores en el concilio I de Toledo.* El P. Villanuño desperdió esta ocasión de *azotar* (*vapulare*, dice varias veces en sus notas) al Agustiniano, y copió lo que él habia dicho acerca de que la fórmula remitida á Balconio era la del concilio I de Toledo, siguiendo uno y otro de buena fe lo que dijo el colector de las actas toledanas. Mas ni este fue ningún contemporáneo, ni merece fe alguna, como prueba el mismo P. Villanuño, que le acusa de torpeza ó de malicia. (Tom. I, pág. 68, nota). Añádese á esto, 1.º que el año 400 no era Balconio obispo de Braga, pues lo mas pronto que se le puede introducir en el obispado es diez años despues. (Véase Florez, tomo XV, cap. VIII, § 16); 2.º san Leon no entró en el pontificado hasta cuatrocientos cuarenta años despues: fue, pues, un desatino del colector suponer que el año 400 se otorgara aquel símbolo por mandato de san Leon. *Incipit Regula fidei contra omnes haereses, et quàm maximè contra Priscillianos, quam Episcopi, Tarraconenses, Carthaginenses, Lusitani et Baetici fecerunt et cum praeepto Papae urbis Romae Leonis ad Balconium Episcopum Galliciae transmiserunt.*

3.º Al concilio de Toledo asistieron varios Obispos de Galicia, como Exuperancio de Galicia, Ortiz, y el mismo Dictinio de Astorga; es un error, pues, la remision de Balconio, y negar la asistencia de los gallegos en Toledo.

4.º Los anatemas bracarenses no guardan el orden de los toledanos, sino el de los capítulos de la carta de san Leon, cuyas palabras

mismas toman. Hé aquí comparada la epístola de san Leon con los capítulos del símbolo leído en Braga.

*S. Leon. Epist. ad Turibium.*

*Cánones doctrinales del I de Braga.*

«Quarto autem capitulo continetur, quod natalem Christi... non verè isti honorent, sed honore se simulent.»

IV. «Si quis natalem Christi secundum carnem non benè honorat sed honorare se simulat, jejunans in eodem die... anathema sit.»

«Quinto capitulo refertur quod animam hominis divinae asserant esse substantiae, nec à natura Creatoris sui, conditionis nostrae distare naturam.»

V. «Si quis animas humanas, vel angelos, ex Dei credit substantia extitisse... anathema sit.»

«Sexta adnotatio indicat eos dicere, quod diabolus, numquam fuerit bonus.»

VI. (*Continúa con otro error sobre las almas, por lo que se altera la coincidencia.*)

VII. «Si quis dicit diabolum non prius fuisse Angelum bonum à Deo factum... anathema sit.»

Creo, pues, que los Padres de Toledo redactaron una fórmula que se conoce como toledana, y en el Concilio de 447 se redactó otra que fue la que se siguió en Braga; pues no expresan que se leyera la carta de san Leon, sino precisamente el símbolo remitido á Balconio por el Concilio nacional, cuyas actas no han llegado hasta nosotros. Por la comparacion que se acaba de hacer se demuestra que los Padres de este Concilio desconocido calcaron su símbolo sobre la carta del papa san Leon.

*Synodus bracarenensis prima, regnante Domino nostro Jesu Christo, corrente Aera DXCVIII, anno tertio Ariamiri Regis, die Cal. Majorum.*

*Cum Galliciae Provinciae Episcopi, Lucretius, Andreas, Martinus, Cottus, Ildericus, Lucentius, Timotheus, Maliosus, ex prae-*



cepto praefati gloriosissimi Ariamiri Regis, in Metropolitana ejusdem Provinciae Bracarensis Ecclesia convenissent; consentibus simul Episcopis, praesentibus quoque Presbyteris, adstantibusque ministris, vel universo Clero, Lucretius memoratae Metropolitanæ Ecclesiae Episcopus dixit:

Diù est, sanctissimi fratres, quòd secundum instituta venerabilium Canonum, et decreta Catholicae et Apostolicae disciplinae, desiderabamus Sacerdotalem inter nos fieri debere conventum; qui non solum Ecclesiasticis regulis et ordinibus opportunus est, sed etiam stabilem semper efficit charitatis fraternae concordiam: dum congregati simul, in nomine Domini, Sacerdotes, ea inter se salutifera collatione requirunt, quae secundum doctrinam Apostolicam, unitatem spiritus in vinculo pacis obtineant. Nunc igitur, quoniam optatum nobis hujus congregationis diem gloriosissimus, atque piissimus filius noster, adspirante sibi Domino, regali praecepto concessit, et simul positi considemus, prius si placet, de statutis fidei Catholicae perquiramus: tunc deinde sanctorum Patrum instituta, recensitis Canonibus, innotescant: postremo quaedam etiam, quae ad obsequium Dei, vel officium pertinent Clericale diligentius pertractentur: ut si qua fortasse per ignorantiae desidiam, vel per longi temporis incuriam, aut varia inter nos habentur, aut dubia, ad unam, sicut decet, rationis, aut veritatis formulam revocentur.

Omnes Episcopi dixerunt: Prosecutio tuae beatitudinis justa est: ea namque de causa convenimus, ut aliqua nobis Ecclesiasticae constructionis utilitas commodetur.

Lucretius Episcopus dixit: Prius ergò de statutis fidei, sicut superius dictum est, conferamus. Nam licet jam olim Priscillianae haeresis contagio in Hispaniarum provinciis detecta sit et damnata, ne quis tamen, aut per ignorantiam, aut aliquibus, ut assolet, scripturis deceptus apocryphis, aliqua adhuc ipsius erroris pestilentia sit infectus, manifestius ignaris hominibus declaretur; qui in ipsa extremitate mundi, et ulla hujus provinciae regionibus constituti, aut exigua, aut penè nullam rectae eruditionis notitiam contigerunt. Credo autem vestrae beatitudinis fraternitatem nosse, quia eo tempore, quo in his regionibus nefandissima Priscillianae sectae venena serpebant, beatissimus Papa urbis Romae Leo, qui quadragessimus ferè extitit Apostoli Petri successor, per Turibium nota-

rium sedis suae, ad Synodum Galliciae, contra impiam Priscilliani sectam, scripta sua direxit. Cujus etiam praecepto Tarraconenses et Carthaginenses Episcopi, Lusitani quoque, et Baetici, facto inter se Concilio, regulam fidei contra Priscillianam haeresim, cum aliquibus capitulis conscribentes, ad Balconium, tunc hujus Bracarensis Ecclesiae Praesulem, direxerunt. Unde, quia et ipsum praescriptae fidei exemplar, cum suis capitulis prae manibus hic habemus, pro instructione ignorantium, si vestrae placet reverentiae, recitetur.

Omnes Episcopi dixerunt: Valdè necessaria horum capitulorum est lectio: ut dum simplicioribus quibusque pristina sanctorum patrum statuta panduntur, abominata jam olim à sede beatissimi Petri Apostoli, et damnata Priscilliani haeresis figmenta cognoscant.

Lectum est exemplar fidei, cum capitulis suis: quae ne prolixitatem facerent, his gestis minimè sunt inserta.

Post lectionem capitulorum, omnes Episcopi dixerunt: Licet horum capitulorum lectio necessaria recensita sit, tamèn evidentius et simplicius ea, quae sunt execrabilia, ita praepositis etiam capitulis modò declarentur, ut, qui minus est eruditus, intelligat; et sic sub anathematis sententia explosa jam olim Priscilliani erroris figmenta damnentur. Ut quisquis Clericus, vel Monachus, siyè Laicus, tale aliquid sentire adhuc, vel defendere fuerit deprehensus, tanquam verè putre membrum continuo de corpore abscindatur catholicae Ecclesiae: ne aut societas ejus maculam suae pravitatis rectè credentibus ingerat, aut amplius de permixtione talium, aliquod Orthodoxis reputetur opprobrium.

Proposita contra Priscillianam haeresim capitula, et relecta continentur haec.

I. Si quis Patrem, et Filium et Spiritum Sanctum non confitentur tres personas unius substantiae, et virtutis ac potestatis, sicut Catholica et Apostolica Ecclesia docet, sed unam tantum dicit, et solitariam esse personam; ita ut ipse sit Pater qui Filius, ipse etiam sit Paracletus Spiritus, sicut Sabellius et Priscillianus dixerunt, anathema sit.

II. Si quis extrà sanctam Trinitatem, alia nescio quae, divinitatis nomina introducit, dicens, quod in ipsa divinitate sit Trinitas Trinitatis, sicut Gnostici et Priscilliani dixerunt, anathema sit.



III. Si quis Filium Dei Dominum nostrum, antequam ex Virgine nasceretur non fuisse, sicut Paulus Samosatenus, et Photinus, et Priscillianus dixerunt, anathema sit.

IV. Si quis Natalem Christi secundum carnem non benè honorat, sed honorare se simulat; jejunans in eodem die, et in Dominico; quia Christum in *vera* hominis natura natum esse non credit, sicut Cerdon, Marcion, Manichaeus, et Priscillianus, anathema sit.

V. Si quis animas humanas, vel Angelos, ex Dei credit substantia extitisse, sicut Manichaeus, et Priscillianus dixerunt, anathema sit.

VI. Si quis animas humanas dicit, prius in coelesti habitatione peccasse, et pro hoc in corpora humana in terram dejectas, sicut Priscillianus dixit, anathema sit.

VII. Si quis dicit, diabolum non fuisse prius bonum Angelum à Deo factum, nec Dei opificium fuisse naturam ejus; sed dicit, eum ex chao et tenebris emersisse; nec aliquem sui habere auctorem, sed ipsum esse principium atque substantiam mali, sicut Manichaeus, et Priscillianus dixerunt, anathema sit.

VIII. Si quis credit quia aliquantas in mundo creaturas diabolus fecerit, et tonitrua, et fulgura, et tempestates, et siccitates ipse diabolus sua auctoritate faciat, sicut Priscillianus dixit, anathema sit.

IX. Si quis animas et corpora humana fatalibus stellis credit adstringi, sicut Pagani, et Priscillianus dixerunt, anathema sit.

X. Si quis duodecim signa, quae Mathematici observare solent, per singula animae vel corporis membra disposita credunt, et nominibus Patriarcharum adscripta dicunt, sicut Priscillianus dixit, anathema sit.

XI. Si quis conjugia humana damnat, et procreationem nascentium perhorrescit, sicut Manichaeus, et Priscillianus dixerunt, anathema sit.

XII. Si quis plasmationem humani corporis, diaboli dicit esse figmentum, et conceptiones in uteris matrum, operibus dicit daemonum figurari; propter quod et resurrectionem carnis non credit, sicut Manichaeus, et Priscillianus dixerunt, anathema sit.

XIII. Si quis dicit creationem universae carnis, non opificium

Dei, sed malignorum esse Angelorum, sicut Manichaeus, et Priscillianus dixerunt, anathema sit.

XIV. Si quis immundos putat cibos carniū, quos Deus in usus hominum dedit; et non propter afflictionem corporis, sed quasi immunditiam putans, ita absteineat ab eis, ut nec olera cocta cum carnis praegustet, sicut Manichaeus, et Priscillianus dixerunt, anathema sit.

XV. Si quis Clericorum vel Monachorum praeter matrem, aut germanam, vel thiam, vel proximam sibi consanguineam alias aliquas adoptivas foeminas secum retinet, et cum ipsis cohabitatur, sicut Priscilliani secta docuit, anathema sit.

XVI. Si quis quintam feriā Paschali, quae est Coena Domini, hora legitima post nonam, jejunus in Ecclesia missas non tenet; sed secundum sectam Priscilliani festivitatem ipsius diei, ab hora tertia, per missas defunctorum, soluto jejunio colit, anathema sit.

XVII. Si quis scripturas, quas Priscillianus secundum suum depravavit errorem, vel tractatus Dictinii, quos ipse Dictinius antequam converteretur, scripsit, vel quaecumque haereticorum scripta sub nomine Patriarcharum, Prophetarum, vel Apostolorum suo errori consona confinxerunt legit, et impia eorum figmenta sequitur aut defendit, anathema sit.

Propositis his capitulis et relectis, Lucretius Episcopus dixit:

Quoniam ea, quae à Catholicis abominanda sunt et damnanda, manifestius et apertius etiam ignorantibus declarata sunt, necessarium post hoc arbitror, si vestrae fraternitati videtur, ut instituta novis sanctorum Patrum, recensitis antiquis Canonibus, innotescant. Quae etsi non omnia, certè vel pauca quaedam, quae ad instructionem Clericalis disciplinae pertinent, relegantur. Omnes Episcopi dixerunt: Placet quod dictum est, et congrua res est, ut quibus fortasse per incuriam abolita sunt Ecclesiastica constituta, audiant sanctorum Canonum regulam et observent.

Relecti ex codice coram Concilio tam generalium Synodorum Canones, quam localium.

Post quorum lectionem Lucretius Episcopus dixit: Ecce ex ipsa Canonum lectione agnoscat sancta fraternitas vestra, non solum in generalibus Conciliis, sed etiam in localibus congregatos simul Sacerdotes, uno consensu, ea quae Ecclesiastico conveniebant ordini,



statuisse, et secundum quod uniuscujusque rei exhibebat ratio, prospexisse; sequentes sententiam doctrinae Apostolicae, dicentis: Probate quae bona sunt, et tenete. Si ergo placet charitati vestrae, quia sunt aliqua Ecclesiasticae institutionis obsequia, quae in hujus praesertim extremitate provinciae, non per contentionem, quod absit, sed magis, sicut praefati sumus, per incuriam, aut per ignorantiam variantur, constituamus quaedam inter nos capitula; ut quae non uno modo tenentur à nobis, ad unam omnimodò formulam revocentur.

Omnes Episcopi dixerunt: Necessarium et valde hoc utile arbitramur, ut ea quae apud unumquemque nostrum varia et inordinata consuetudine retinentur, unito inter nos, per Dei gratiam, quo per concordiam celebrentur, officio. Et idcirco si quid illud est magnum, vel parvum in quibus variari videmur, ad unam, sicut dictum est, formulam, praefixis rationabiliter capitulis, revocentur. Praecipue cum et de caeteris quibusdam causis, instructioni apud nos sedis Apostolicae habeamus quae ad interrogationem, quondam venerandae memoriae predecessoris tui Profuturi, ab ipsa beatissimi Petri cathedra directa est.

Lucretius Episcopus dixit: Rectè vestra fraternitas pro auctoritate sedis Apostolicae reminiscita est: quae licet eodem tempore innotuerit, quo directa est, tamèn pro firmitate testimonii, et instructione multorum, si vestrae unanimitati complacet, quia prae manibus est, coram his omnibus relegatur.

Omnes Episcopi dixerunt: Justum est, ut, quia mentio ipsius auctoritatis est habita, quae sit ejus doctrina, à circumstantibus audiatur.

Relecta est auctoritas sedis Apostolicae ad quondam Profuturum directa Episcopum, quae propter prolixitatem his gestis minimè est inserta. Post cujus lectionem, Lucretius Episcopus dixit:

Manifestius patet, Apostolicam nobis opitulari doctrinam: Et ideo sicut fraternitas vestra praedixit, si quid per ignorantiam apud quosdam varium habeatur, ad uniformem concordiae regulam, perscriptis inter nos capitulis, adjungatur.

Proposita sunt igitur capitula et relecta, quae continent haec:

I. Placuit omnibus communioni consensu, ut unus atque idem psallendi ordo in Matutinis, vel Vespertinis officiis teneatur; et non

diversae, ac privatae, neque monasteriorum consuetudines cum Ecclesiastica regula sint permixtae.

II. Item placuit, ut per solemnum dierum Vigiliis, vel Missas, omnes easdem et non diversas lectiones in Ecclesia legant.

III. Item placuit, ut non aliter Episcopi, et aliter Presbyteri populum, sed uno modo salutent, dicentes: *Dominus sit vobiscum*, sicut in libro Ruth legitur; et respondeatur à populo: *Et cum spiritu tuo*, sicut et ab ipsis Apostolis traditum omnis retinet Oriens, et non sicut Priscilliana pravitas permutavit.

IV. Item placuit, ut eodem ordine Missae celebrentur ab omnibus, quem Profuturus quondam hujus Metropolitanae Ecclesiae Episcopus ab ipsa Apostolicae sedis auctoritate suscepit scriptum.

V. Item placuit, ut nullus eum baptizandi ordinem praetermittat, quem et antea tenuit Metropolitana Bracaraensis Ecclesia, et pro amputanda aliquorum dubietate, praedictus Profuturus Episcopus scriptum sibi, et directum à sede beatissimi Apostoli Petri suscepit.

VI. Item placuit, ut conservato Metropolitanì Episcopi primatu, caeteri Episcoporum, secundum suae ordinationis tempus, alius alio sedendi deferat locum.

VII. Item placuit, ut de rebus Ecclesiasticis tres aequae fiant portiones; id est Episcopi una, alia Clericorum, tertia in recuperatione vel in luminariis Ecclesiae: de qua parte, sive Archipresbyter, sive Archidiaconus illam administrans, Episcopo faciat rationem.

VIII. Item placuit, ut nullus Episcopus Clericum alterius ordinare praesumat; sicut et antiqui canones veterunt; nisi forte signata ipsius Episcopi scripta susceperit.

IX. Item placuit, ut quia in aliquantis hujus provinciae Ecclesiis, Diaconi absconsis infra tunicam utuntur orariis, ita ut nihil differre à subdiacono videantur, de caetero superposito scapulae (sicut decet) utantur orario.

X. Item placuit, ut non liceat cuilibet ex Lectoribus, sacra altaris vasa portare; nisi his, qui ab Episcopo Subdiaconi fuerint ordinati.

XI. Item placuit, ut Lectores in Ecclesia, in habitu saeculari ornati non psallant, neque granos Gentili ritu dimittant.

XII. Item placuit, ut extra psalmos, vel canonicarum scriptu-



rarum novi, et veteris Testamenti, nihil poetice compositum in Ecclesia psallatur; sicut et sancti praecipunt canones.

XIII. Item placuit, ut intra sanctuarium altaris ingredi ad communicandum non liceat laicis, viris vel mulieribus; nisi tantum Clericis; sicut et antiquis canonibus statutum est.

XIV. Item placuit, ut quicumque in Clero cibo carnum non utuntur; pro amputanda suspicione Priscillianae haeresis, vel olera cocta cum carnibus tantum praegustare cogantur. Quod si contempserint, secundum quod de his talibus sancti Patres antiquitus statuerunt, necesse est eos, pro suspicione haeresis hujus, officio excommunicatos, omnibus modis removeri.

XV. Item placuit, ut hi, qui pro haeresi, aut pro crimine aliquo excommunicantur, nullus eis communicare praesumat, sicut et antiqua canonum continent statuta; quae si quis spernit, voluntarie seipsum alienae damnationi tradet.

XVI. Item placuit, ut hi, qui sibi ipsis, aut per ferrum, aut per venenum, aut per praecipitium, aut suspendium, vel quolibet modo violentam inferunt mortem, nulla pro illis in oblatione commemoratio fiat neque cum psalmis ad sepulturam eorum cadavera deducantur: multi enim sibi hoc per ignorantiam usurpaverunt. Similiter et de his placuit, qui pro suis sceleribus puniuntur.

XVII. Item placuit, ut Catechumenis sine redemptione baptismi defunctis, simili modo, neque oblationis commemoratio, neque psallendi impendatur officium: nam et hoc per ignorantiam usurpatum est.

XVIII. Item placuit, ut corpora defunctorum nullo modo in basilica sanctorum sepeliantur: sed si necesse est, de foris, circa murum basilicae usque adeo non abhorret. Nam si firmissimum hoc privilegium usque nunc manet civitatis, ut nullo modo intra ambitus murorum cujuslibet defuncti corpus humetur, quanto magis hoc venerabilium martyrum debet reverentia obtinere.

XIX. Item placuit, si quis Presbyter post hoc interdictum, ausus fuerit chrisma benedicere, aut ecclesiam, aut altaria consecrare, a suo officio deponatur: nam et antiqui hoc canones vetuerunt.

XX. Item placuit, ut ex laico ad gradum Sacerdotii ante nemo veniat, nisi prius anno integro, in officio Lectorati vel Subdiaconati disciplinam Ecclesiasticam discat; et sic per singulos gradus prae-

dictus ad Sacerdotium veniat. Nam satis reprehensibile est, ut qui necdum didicit, jam docere praesumat; dum et antiquis hoc Patrum institutionibus interdictum sit.

XXI. Item placuit, ut si quid ex collatione fidelium, aut per festivitates martyrum, aut per commemorationem defunctorum offertur, apud unum Clericorum fideliter colligatur, et constituto tempore, aut semel, aut bis in anno, inter omnes Clericos dividatur: nam non modica ex ipsa inaequalitate discordia generatur, si unusquisque in sua septimana quod oblatum fuerit sibi defendat.

XXII. Item placuit, ut quaecumque praecepta antiquorum Canonum modo in Concilio recitata sunt, nullus audeat praeterire. Si quis autem quasi contumax transgreditur, ille, necesse est, ut de suo degradetur officio.

Relectis capitulis, Lucretius Episcopus dixit: Quia opitulante nobis Domino, ea quae ad firmitatem Catholicae et orthodoxae fidei, vel quae ad officium ordinis Ecclesiastici pertinebant, unanimi (sicut oportebat) collatione decrevimus, restat nunc, ut ex omnibus his, quae fidei gratia salubriter statuta sunt, propriam unusquisque nostrum studeat docere, atque informare dioecesim. Si quis autem ex nobis in parochiis suis, post agnita hujus Concilii statuta, aut Clericum, aut Monachum sanae huic doctrinae resistentem invenerit, aut in aliquo adhuc Priscillianae sectae errore latitare percenserit, et non continuo illum excommunicatum, et anathematizatum ab Ecclesia foras ejecerit; ita cum hujusmodi homine, nec cibum aliquis fidelium sumere, nec communicare praesumat; noverit se is, qui talem receperit, et fraternae esse excommunicationi obnoxium, et divinae procul dubio sententiae reum.

Omnes Episcopi dixerunt: Quaecumque a nobis per Dei gratiam communi consensu decreta sunt, pervigili necesse est, ut, cum omni sollicitudine observentur. Quae ut stabilem placitae constitutionis obtineant firmitatem, propria unusquisque his gestis, manu sua subscribat. Et post Episcoporum subscriptio subsecuta est.

